



# MOSCHI SYRACUSII

## IDYLLIUM I.

### AMOR FUGITIVUS.

*Venus inducit Amorem quarens per compita; a qua  
& premia proponuntur iis, qui aut visum nun-  
ciant, aut captum reducant. Porro ut puer agnoscit  
possit, ab eadem signa indicantur.*

**I**NCLAMANS gnatum quærebat Cypris Amorem.  
Errantem in triviis si quis conspexit Amorem,  
Ille erro meus est. index, tu munus habebis,  
Munus suaviolum Veneris..si forte reduces,  
Non modo suaviolum, sed majus munus habebis.  
Plurima signa insunt puero: cognoveris ipsum  
Bisdenos alios inter, non candidus albet  
Corpore, at assimilis flammæ est: stant ignea semper  
Lumina lustrantis; mens est mala, dulcia verba.  
Namque puer non sentit idem, quod fatur: ab ore,  
Ut mel, vox manat. sed quando irascitur, ardet.  
Aspera mens, fraudem & mendacia fingere docta:  
Vera odit vafer usque, joco & crudelis in ipso est.  
Crispa coma est capitis, trux pulcro aspectus in ore,  
Exiguæque manus, sed longe spicula jaëtat,  
Usque acheronteas jaëtat sua spicula ad undas,  
Umbrarumque ferit regem. stat corpore nudus,